

qui eò spectandi gratia venerunt. Ille huic commendationi cumulus accessit, quòd visa Vrbs non modo expectationi commotæ respondit; verum etiam commotam sustinuit, imò & superavit. Quare cum eius Descriptionem absoluerim, operæ pretium me facturum duxi, si eos, quos ad sui spectaculum Vrbs ipsa traxit, recenserem. Incipiam verò à Pontificibus Romanis: tum ad Imperatores, deinde ad Reges, postea ad Reginas, ac tandem ad alios viros, ac fæminas Regij sanguinis Principes accedam.

PONTIFICES.

BENEDICTVS III.

Primus in Historijs ponitur Benedictus III. Romanus, quem narrant Venetias venisse anno D. CCCLVI. quo anno constat Pontificatum gessisse, qui quamquam brevis, (non enim excessit sesquiannum) potuit tamen illud iter suscipere, ac conficere. Confirmant tabularia prisca Monasterij S. Zachariæ (Monialium illud est Instituti Benedictini) cuius Ecclesiam cum visitasset, rogatus ab Agnete Morosina, quæ Abbatissam agebat, vt aliquas insignes reliquias eò mitteret; recepit is se facturum, ac præstitit: vix dum quippe Romam reuersus duo Corpora SS. Martyrum Pancratij, & Sabinæ, cum Instrumentis idoneis dono misit; quod sanè omnem dubitationis ansam aufert. Idque mihi non admodum ad credendum facili compertum est, qui suscepto studio, rem inquisiui, & ita se habere cognoui.

LEO . IX.

Germanus, Venetias contendit, ibique commoratus Ecclesiam S. Marci sæpè inuisit, & ornare voluit, eiusque visitandi causa, eò contendisse confirmavit. Honorificentissime